



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quis ordo servandus inter personas quæ diliguntur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

CAPUT II.

De præceptis charitatis erga proximum.

Charitas proximi præcipit, 1. Ordinem in eo diligendo. 2. Dilectionem inimicorum. 3. Eleemosynam. 4. Correctionem fraternam. Deinde prohibet, 1. odium proximi. 2. scandalum. 3. ne injuria, bellum, aliudve grave damnum, vel malum inferatur. De quo postremo agetur in Decalogo; de reliquis hic.

DUBIUM I.

*Quis Ordo servandus inter personas,
qua diliguntur?*

Resp. I. Ordine Charitatis quisque tenetur post Deum diligere 1. Seipsum, secundum bona spiritualia. 2. Proximum quoad eadem bona. 3. Seipsum, quoad bona corporalia. 4. Proximum, quoad eadem. 5. Denique seipsum, & deinde proximum, quoad bona externa. Ita Laym. l. 2. tr. 3. c. 3. ex S. Thom. & communiter. Unde resolventur Casus.

I. Peccat contra charitatem sui, qui salutem suam spiritualem, vel corporalem negligit: quod grave est, si fiat sine causa, & cum gravi damno, v. g. mortis, vel gravis morbi. Trull. l. 1. c. 6. d. 1.

II. Nullius boni consequendi causa licet peccare, etiam venialiter: quia talis vellet sibi malum spirituale, Lay. ibidem.

III. Tenetur quisque proximo in extrema necessitate spirituali constituto succurrere, etiam cum certo vitæ periculo; dummodo sit æquè

D ccr-

certa spes illum juvandi, neque gravius inde malum imminet: v. g. teneris cum vitæ periculo baptizare, vel absolvere moriturum, si alius non adsit, qui faciat. *S. Aug. l. de mend. S. Thom. q. 26. a. 5. & q. 44. Regin. c. 4.*

Dixi, *in extrema*, v. g. qua certo putetur moriturus in mortali: quia in gravi tantum obligatur is, qui ex officio alienam salutem curat, ut Parochus; cui ideo non licet fugere tempore pestis, nisi substituto æquè idoneo. *Valent. & Lay. l. c.*

IV. Ordinariè non licet vitam suam postponere alienæ. Addo, *ordinariè*: quia licet, si sit persona publica, à qua multum pendet: uti etiam pro Repub. pro fide, religione defendenda: imò etiam pro amico, propter Deum dilecto. *Less. l. 2. c. 9. d. 6. Lay. l. c.*

Resp. II. Quoad proximos inter se, servandus est hic ordo, 2. Qui melior est, magis diligendus est, ea dilectione, quam comitatur gaudium circa bona possessa, item honor, cultus, & reverentia. Sic v. g. plus diligendus est vir sanctus, quam parens improbus. Ratio, quia est magis conjunctus cum præcipuo objecto Charitatis, quòd est Deus. Item parentes magis quam filii, vel uxores magisque benefactores, quam ii, quibus beneficimus. *Lay. l. c. & comm. 2.* Appretiativè, & dilectione ea, qua alteri optamus bonum non dum possessum cum beneficentia, magis diligendi sunt ii, qui nobis sunt conjunctiores, quoad ea bona, quæ sunt debita tali conjunctioni, & in quibus hæc fundatur. *Vnde resolves.*

I. In bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corporis.

corporalem conservandam, succurrendum est (extra necessitatem extremam) Primò omnium uxori; quia est una caro cum viro. 2. Filiis. 3. Parentibus, & quidem patri præ matre. 4. Fratribus, sororibus, deinde propinquis, domesticis, & familiaribus. Dixi, *extra extremam necessitatem*: quia in hac parentes, eò quòd vitam dederint, præferendi sunt etiam uxori, & liberis. *Laym. ib. n. 5. & 6.*

II. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem, præferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. *Bannes* tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam in spiritualibus, aliis omnibus præferendos: quia conjunctio carnalis est fundamentum aliarum conjunctionum. *vid. Lay. hic l. c.*

DUBIUM II.

De odio, & dilectione inimicorum.

Certum est, inimicos aliquo modo diligendos cum sint proximi, *cum S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 1. communiter omnes*. Sed quæritur de modo, & an possint odio haberi?

Resp. I. Quilibet homo saltem privatus tenetur proximo, etiam inimico, communia dilectionis signa, & beneficia exhibere ex præcepto; specialia verò ex consilio tantum, nisi aliundè ratio obligationis accedat. *Ita communiter cum Lay. c. 4. ex S. Thom. l. c. q. 25. a. 8. & 9. Dixi. communia*: qualia secundum *Cajet. V. odium*, sunt, quæ Christiano debentur à quovis Christiano in com-